



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

Punct. I. Quid vtraque causa, & vtriusque causalitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

res aliter sine hac mutua dependentia possit componi: non enim adeo certum est ut oppositum defendi non possit, habitum charitatis, à quo procedit charitatis actus, non distingui ab habitu gratiae. Deinde etiam dicatur hos habitus non distingui multi censent primum actum non produci ab habitu, nec certum est, actum contritionis supponere ex parte subiecti habitum tamquam propriam dispositionem, quibus omnibus dicendi modis tota res sine hac mutua dependentia agitur, qui verò tenendus sit alibi definiendum.

9 Alij obiciunt expulsiōem formae esse priorem, in genere causae materialis introductione contrariae, & posteriorem in genere causae formalis, quibus negandum est expulsiōem in aliquo genere esse priorem, de quo latè Controu. 8 Punct. 3.

CONTROVERSIÀ VIII.

De causa materiali & formali.

 G lib. 1. Controuers. 2. de materia, & Controu. 3. de forma, ubi dum essentias harum entitatum explicui, non pauca dixi de virtute causatiua illarum, & de causalitate materiae respectu formae, dum explicabam, quomodo formae praexistant in materiae potentia, & de causalitate utriusque respectu compositi, multa scripsi Controuers. 4. dum naturam modi vnionis explicabam, absolui in praesenti quicquid pertinet ad perfectam cognitionem harum causarum, ex quibus materialis causa se extendit, non solum ad materiam primam, sed etiam ad quodcumque subiectum ex quo educitur forma realis, vel modalis, substantialis, vel accidentalis.

PUNCTVM PRIMVM.

Quid utraque causa, & utriusque causalitas.

1 **M**ATERIALEM causam definit Aristoteles in hoc lib. capit. 3. his verbis: *Ex qua cum insit, aliquid fit*; definitionem hanc merito recipiunt omnes Philosophi, contra quam frustra recentiores multa congerunt, quae simplici definitionis explicatione euanescent, hanc exhibeo, quae proluxa argumenta vito, & dirimo, festinè enim interficit, qui nasci prohibet. Definierat Aristoteles materiam primam lib. 1. cap. 9. *Primum cuiuscunque subiectum, è quo quidpiam eo fit patet ut non per accidens insit.* Intendit modò non solum materiam primam describere, sed etiam omnem causam, materialem, quae latius patet, quam materia prima, ideo omisit particulam illam, *primum subiectum*, cuius ratio formae potest competere, quae etsi sit formalis causa compositi, est causa materialis plurium proprietatum, quae ex illa educuntur, omisit etiam illam particulam, *eo patet ut non per accidens insit*, quae tantum potest conuenire subiecto respectu substantialis formae & materialis causa non solum ad hanc se extendit, sed etiam ad formas accidentales, quae ex illa educuntur. His demptis particulis, quod superest in definitione omni materiali causae conuenit & non alij, quod sic ostendo. Do verbum ex commune esse omnibus causis, imò etiam omni principio, quod latius causa patet. Definit enim Aristoteles prima principia, *quae non sunt ex alio neque ex alterutris, sed omnia sunt ex ipsis*, & hac ratione forma potest dici, ex qua fit totum, ita fere communis loquendi modus, quo dicimus totum constare seu componi ex materia, & forma; componi autem idem est, quod intrinsecè causari, causae enim intrinsecè non alio modo, quam componendo, causant. Neque audiendi sunt, qui dicunt hac, & similibus loquutionibus verbum ex sumi improprie, si enim frequenter sumitur hoc verbum in acceptione, quam volunt improprie esse, ex quo capite potest

Franc. Onedo, de Philosoph. Tom. I.

rimus cognoscere an hic & nunc verbum ex proprie, & non improprie sumatur? Sentio definitionem hanc causae materiali praecise competere ratione illius particulae *cum insit*, quae referenda est ad ly *aliquid*, ita ut faciat hunc sensum, *causa materialis est ex quo aliquid fit, quod illi insit*, in hoc sensu definitio omni causae materiali conuenit, quia omne, quod fit ex causa materiali illi inest medià passione, & non potest alij principio, seu causae competere, licet enim ex forma fiat compositum, & illa insit materiae, & sit in composito, compositum autem factum ex forma non inest ipsi formae, & ideo non potest ad illam tanquam ad causam materialem referri, cui debet inesse illud, quod fit ex illa. Hoc intendit Philosophus per illam particulam, *cum insit*.

2 Ceterum est valde notandum materiam dici in ordine ad duplicem terminum causam materialem, in ordine ad formam, & vnionem, quae ex illa educuntur, & illi insunt, & in ordine ad compositum, quod componit, quod non potest dici in esse materiae, potius materia dicitur esse in composito, tanquam inclusum in includente, & pars in toto. Compositum causat materia seipsam communicando tanquam aliquid illi intrinsecum, ex quo componitur, & cum quo inaequatur identificatur, formam verò, & vnionem causat tanquam effectus adaequatur ab ipsa materia distinctos, quos totos ponit extra se entitatiuè, ita ut nihil illorum constituat formaliter neque componat, sed tantum illis det esse per receptionem, quod agens tribuit per actionem. Respectu horum effectuum materialis causa propria causa dicitur, sicut de materia prima respectu formarum substantialium probaui Controuers. 3. Punct. 4. in ordine ad quos causam materialem definit Aristoteles definitione adducta non in ordine ad totum quod non inest materiae, neque proprie est illius effectus ut postea ostendam. Ex hoc inferes illam particulam *cum insit* non esse intelligendam de inhæione medià vnione, sed medià passione, per quam causa materialis constituitur in actu secundo causans, ad cuius conceptum formalem non spectat ordo ad vnionem, quia ad hoc ut materia causet formam necessum non est illi vniri, etsi semper vnio illius causalitatem comiteretur, ut probaui punct. citato, ubi ostendi causalitatem materialis causae esse passionem, seu receptionem accidentalem & non vnionem. Neque diminutè processit Aristot. ex eo quod non definierit causam materialem in ordine ad totum, quia ut exactè res definiatur non debet definiri in ordine ad omnia extrema, ad quae dicit ordinem, neque causa in ordine ad omnes effectus est necessariò explicanda, sed sufficit illam explicari per ordinem ad aliquem effectum per quem possumus totam naturam definiti perfectè cognoscere.

3 Conceptus causae materialis, & formalis in ordine ad totum componendum nullam dicunt receptionem accidentalem, aut potentiam ad illam ex parte materialis causae recipientis, aut formae receptae ut probaui Controuers. 2. Punct. 3. & Controuers. 3. Punct. 3. ubi de conceptu materiae, quae essentialiter est causa materialis totius & de conceptu formae quae eiusdem est formalis causa disputauit. Neque alius est conceptus causae materialis totius, quàm conceptus potentis componere per modum partis materialis, & conceptus formalis causae quam conceptus potentis componere per modum partis formalis quos conceptus explicui punctis citatis, ubi accuratè tractaui, quomodo inter se differant pars materialis, & formalis, & materialem partem perfectibilem per aliam partem formalem perficientem appellauit, & explicui, quid sit partem esse perfectibilem per formam substantialem, & accidentalem, & quid sit partem substantialem, & accidentalem aliam partem perficere, recognosce ibi latè tradita, nihil enim praeter ibi dicta desiderandum inuenio ad cognoscendas naturas causae materialis, & formalis totius, quae formaliter non differunt à partibus materiali, & formali eiusdem, quia conceptus causae intrinsecè à conceptu partis non distinguitur, & per easdem differentias per quas differunt pars materialis, & formalis differunt causa materialis, & formalis, & per eosdem conceptus per quos constituuntur pars materialis, & pars formalis constituuntur formaliter causa materialis, & formalis eiusdem totius.

4 Causalitatem materialis, & formalis causae totius in ordine ad ipsum totum ex parte materiae esse vnionem, per quam materia vnitur formae, & ex parte formae esse vnionem,

S 3 per

per quam forma vnitur materiæ extra totam controuersiam esse debet; id breuiter ratione ostendo. Causa materialis, & formalis totius in actu primo dicunt potentiam componendi totum: ergo reducuntur ad actum secundum per compositionem, per quam formaliter dicuntur totum componere: sed hæc est vnio: ergo reducuntur ad actum secundum per vnionem: ergo vnio est causalitas vtriusque, quia causalitas nihil aliud est, quam id per quod causa in actu primo reducitur ad actum secundum: potentiam componendi reduci ad actum secundum per vnionem tanquam per compositionem, negbit nemo, est enim per se notum partes actu componere totum, nihil aliud esse, quam actu habere vnionem, per quam ex illis constituitur vnium, quod formaliter est totum constans partibus. Circa hanc causalitatem, seu vnionem plures quæstiones nonnulli hoc loco exagitant, an videlicet vnio, seu causalitas causarum intrinsecarum, ab ipsis distinguatur, an ex suppositione, quod distinguatur eadem sit cum eductione, seu passione, an per simplicem, vel duplicem vnionem annectantur materia, & forma, quas quæstiones exagitaui Controverf. 4. vbi probaui Punct. 1. vnionem esse modum substantialem distinctum ab extraneis, & ab eductione, & Punct. 2. esse modum simplicem, eandemque vnionem dici materializationem, quatenus se tenet ex parte materiæ, & informationem quatenus se tenet ex parte formæ; sicuti eadem entitas actio dicitur, & est agentis causalitas quatenus respicit principium, à quo fluit, & dicitur passio, & est causalitas causæ materialis formæ quatenus se tenet ex parte subiecti. Ex quibus ratum est, eandem esse causalitatem materialis, & formalis causæ in ordine ad totum, quod componunt, & hanc distingui ab vtraque causa, in compositis, quorum partium vnio ab ipsis distinguitur. In totis, quorum altera pars per se ipsam vnitur subiecto, sicuti in hoc concreto *presens*, cuius pars formalis, videlicet præsentia per se ipsam subiecto vnitur, causalitas partis formalis ab ipsa parte formali non distinguitur, & causalitas materialis causæ, quæ eadem est cum causalitate causæ formalis distinguitur à causa materiali, & identificatur cum causa formali: vnde ex duabus concausis, quæ conflunt in hoc concretum, *presens*, subiectum habent rationem materialis causæ illud componens, forma verò, quæ est præsentia est causa formalis componens compositum, & est causalitas sui ipsius, & alijs concausis, quia per ipsam præsentiam eadem vnitur subiecto, & subiectum eidem est vnium.

Contra hanc doctrinam præsto adest obiectio. De ratione causæ est prioritas naturæ, sed hæc non potest conuenire causalitati: ergo neque entitati identificatæ cum causalitate: ergo non potest esse causa formalis identificata cum causalitate: ergo causa formalis huius concreti *presens* distinguitur à causalitate per quam constituitur actu causans. Respondeo verum esse causalitatem non esse priorem naturæ, ut probaui Contr. 7. Punct. 3. ex quo rectè inferitur non posse habere hanc prioritatem aliquid identificatum cum causalitate, & causam formalem huius concreti *presens* non esse priorem naturæ, in quo nullum est inconueniens, nam etiam si concedamus prioritatem naturæ esse de ratione cuiuscumque causæ, & non solum illarum, quæ adæquatè ab effectu distinguuntur, nihil absurdi contra nos poterit inferri cum sentiamus causam intrinsecè componentem effectum, propriè, & strictè causam non esse quod statim probabo.

Obiicit ad probandum vnionem non posse esse causalitatem materiæ & formæ. Causalitas per se ipsam dependet à causa in eo genere, in quo est causalitas: sed vnio per se ipsam non dependet à materia, neque à forma in genere causæ materialis, aut formalis: ergo non est causalitas materiæ in genere causæ materialis, aut formæ in genere causæ formalis. Resp. antecedens esse verum in causis quarum effectus ab ipsis distinguuntur, non in illis, quæ causant componendo, quia causa à qua dependet effectus adæquatè distinctus potest effectum, & causalitatem causare, materialis enim causa potest subesse passioni, & formæ, quæ mediâ passione recipitur, & ab eodem principio effectiuo possunt effectus, & ipsa effectio procedere; materia verò, quæ totum tanquam effectum componit, non potest simul causalitatem, seu vnionem, & effectum, seu totum compositum componere, quia vnio non constat materiâ, & formâ ex quibus componatur, & ita non possunt materia, & forma, quarum est causalitas illam componere; sicuti actio,

quæ constat principio effectiuo, & subiecto, potest à causis, quarum est causalitas, tanquam à principio effectiuo, & à materia dependere.

Materiam, & formam componentes totum causas intrinsecas vulgus appellat, quibus iam causalitatem assignauimus, sed adhuc sciendum superest: an illis propria ratio causæ conueniat. Non est quæstio de materia quatenus in se respicit formam, & vnionem; hæc enim ratione iam probaui Puncto citato, materiam propriè exercere causalitatem per receptionem respectu formæ, & vnionis, quas recipit, quæ causalitas non solum est mediata, & remota circa totum, ut multi censent, sed proxima, & immediata, quod sic probaui. Principium effectiuum causarum vnionem mediâ actione dicitur immediatè causare totum compositum, ergo principium passiuum causarum vnionem mediâ passione eodem modo dicitur causare totum: vtriusque enim principium est verè causa respectu termini quæ attingit, & terminus, quem vtrumque respicit est omnino idem: ergo non est maior ratio ut dicatur principium efficiens causa immediata compositi per actionem terminatam ad vnionem, quam ut principium passiuum dicatur similiter causa immediata per passionem terminatam ad eandem vnionem, ex vi huius causalitatis materia prima dicitur causa immediata totius non componens, sed patiens vnionem, per quam vltimo constituitur compositum. Vnum in hac re verum est de principio effectiuo vnionis dici esse principium efficiens totum compositum, & illud generat, etiam si tantum attingat per causalitatem vnionem: de principio verò passiuo vnionis non posse dici pari totum compositum, vel totum compositum recipere, quia etiam si ratione vnionis tantum generat totum compositum denominetur genitum, ratione vnionis receptæ compositum receptum non denominatur, non alia de causa, nisi quia inualuit vsus, denominationem geniti, etsi tantum vnioni conuenientem toti communicari, & non ita communicari denominationem recepti, quæ tantum tribuitur entitati indiuisibili, quæ formaliter ratione sui recipitur. Materia quatenus recipit formam potest dici totum mediatè, seu remotè causare, sicuti de producente formam dicitur, si tamen per eandem passionem formam, & vnionem sustentet, causalitas terminata ad formam erit causalitas immediata, non formaliter quatenus ad formam, sed quatenus ad vnionem terminatur. Hoc causalitatis genus non est materiæ ut componentis, de quo procedit difficultas, quam iam soluo.

Sentio, materiam, & formam quatenus sunt causæ intrinsecæ componentes compositum mediâ vnione propriè non esse causas, sed tantum partes compositi, quod sic probaui: forma (idem intellige de materia) quatenus in actu secundo componit totum non est causa materiæ, neque est causa vnionis, quam tantum terminat præcisè ex eo, quod fit pars componens totum, neque est causa sui ipsius: ergo non est causa alicuius quod includat compositum: antecedens admittit communis sententia: consequentia est vndique firma, quia totum nihil includit præter materiam, formam, & vnionem: ergo quod non est causa materiæ, formæ, & vnionis, non est causa alicuius, quod includat compositum. Pergo vltèrius: forma non est causa alicuius, quod includat compositum: ergo neque ipse compositi. Probo consequentiam: totum eatenus est causatum, & existens extra causas, quatenus illa, quæ formaliter dicitur sunt causata & existentia extra causas: ergo eatenus recipit esse à causa quatenus illud recipiunt, illa, quæ dicit formaliter: ergo non potest recipere esse ab aliqua causa, à qua illud non recipiat aliquid, quod dicat formaliter: sed nihil, quod dicat formaliter totum recipit esse à formâ: ergo neque ipsum totum ab illa suum esse recipit.

Secundò forma, ex eo quod totum componat tantum præstat hoc, quod est terminare vnionem, sed esse terminum vnionis non est propriè esse causam: ergo forma ex eo quod componat compositum non est propriè causa: terminare vnionem non esse propriè esse causam, probaui à paritate reliquorum terminorum actuum vitalium, relationum, & quorumcumque respectuum, cum etiam à paritate vnionis integralis, & ratione. Quia terminus, ut terminus nullum genus causalitatis ex quatuor assignatis à Philosophis dicit, ut cuiusque singula percurrenti patebit. Deinde si forma mediâ vnione aliquid causaret id deberet esse, quod mediâ vnione immediatè

immediatè attingit: sed quod attingit immediatè media vnione est materia: ergo causaret immediatè materiam: hanc non causet: ergo nihil. Ad hæc facit illud argumentum quod efformabam num. 6. Vnio non dependet tanquam à causa à forma: ergo non est propria causalitas respectu illius. Demum si forma esset vera causa quatenus componit, materia quæ similem causalitatem haberet etiam quatenus componens, haberet duplex genus cauſandi, vnum media passione per modum recipientis, aliud mediâ vnione per modum componentis, quæ cauſarum genera maximopere ex causalitatibus differunt, & ita multiplicarentur cauſarum genera respectu cauſarum, quibus propriè, & strictè ratio cauſæ conueniret, quod nullus hucusque concessit. Neque poteris eadem vi argumentum retorquere in meam sententiam, ex qua non infertur minui numerum generum cauſarum propriarum, si forma non sit vera cauſa, quia forma potest dici cauſa propria respectu expulſionis aliis formæ, etſi non dicatur cauſa compositi, quod autem vna forma aliam non expellat physicè, sed moraliter, inconueniens non est, quia finalis cauſa intra numerum, quatuor cauſarum continetur, & non physicè sed moraliter inſiſtit. Accedit plurimos negare cauſæ finalis propriam rationem cauſæ, quapropter nouum non eſſet aſſerere non dari quatuor genera cauſarum propriarum; aſſerere autem materiam pertinere ad duplex genus cauſæ, & dari quinque cauſarum, genera, etiam exceptâ exemplari cauſâ, eſt contra communem omnium ſententiam. Contra hunc dicendi modum nihil momenti adduci poſſe exiſtimo, neque in re differt à communi ſententia, cum non negetur materiam, & formam intrinſecè totum componere, & eſſe partes illius eſſentiales mediâ vnione totum conſtituentes.

PUNCTUM II.

An eadem materia possit duplicem formam incomp. & c. §. I.

Hæc difficultas in præſenti propriè locum ſibi vendicat, vbi de cauſa materiali, & formali ſimul ſermonem inſtituimus, eſt enim vtrique communis: Inquirimus, an eadem materialis cauſa poſſit ſimul ſubſeſſe diuinâ intercedente potentia duabus formis ex ſe incomp. ſibilibus, quod eſt idem ac inquirere an duæ cauſæ formales, poſſint materiam habere communem, & illi inefſe, eodemque iure pertinet hæc difficultas ad tractatum de cauſa materiali, & formali.

§. I.

Nonnulla pramittuntur.

Dviplicem reſpectum dicit materia ad formam, quemdam media paſſione, alium media vnione. De vtroque ſub præfixo titulo venit diſputatio: an videlicet materia poſſit media receptione duplicem formam ex ſe incomp. ſibilem pati, ſeu recipere, & an poſſit eidem duplici formæ, ſue receptæ in materia, ſue non receptæ, ſed per creationem productæ vniri, ita vt cum qualibet illarum vnum compositum conſtituat, quod à composito, quod cum altera componit differat ratione formæ, & in materia communicet. Quæſtiones hæc inter ſe ſunt valde affines, quæ promiſcuè abſque diſtinctione vulgò agitantur, de illis tamen ego diuerſum feram iudicium, quapropter multum reſert præ oculis ſemper habere hanc diſtinctionem receptionis, & vnionis, mediis quibus forma diuerſo modo ſubiectum reſpicit.

Oportet etiam animaduertere ex diuerſis capitibus poſſe dimanare incomp. ſibilitatem naturalem, ſeu naturaliter non poſſe eſſe duplicem formam in eadem materia media vnione, vel receptione. Primo potest procedere ex luſta quam inter ſe habent hæc formæ, quarum vna ſemper aliam expugnat propter inimicitias, quas cum illa gerit, etiamſi aliâ ſubiectum in ſuo gremio ex ſe vtramque ſimul amplecti non reuenerit, quia non eſſet ſupra ſuam virtutem, causalitatem, vel vnionem vtriusque terminare, ſi ipſæ formæ inter ſe non mutuè digladiarentur, ita vt tota ratio, propter quam formæ ſimul eſſe non poſſunt ſumatur ex mutua exigentia, quam quilibet habet, vt illa poſita corrumpatur altera, nulla habita ratione ad defe-

ctum virtutis, ſeu capacitatis, quem habeat ſubiectum ad vtramque formam ſimul fouendam. Poſſet ſecundò dimanare incomp. ſibilitas formarum ex incomp. ſibilitate diſpoſitionum, quas vtraque ſupponit, quæ cum non poſſint ſimul eidem ſubiecto coaptari extrinſecè reddent formas ad quas diſponunt incomp. ſibiles, etiamſi quilibet ratione ſui poſſet alteram abſque vlla violentia comitari. Tertiò potest incomp. ſibilitas procedere ex incapacitate materiæ quæ ex ſe impotens ſit ad recipiendas ſimul duas formas, quia ita eſt potens vtramque ſucceſſiue recipere, vt illas ſimul capere non poſſit. Poſſet quartò materia non poſſe naturaliter aliquam formam recipere ex defectu agentis naturalis, quia nullum non ſupernaturale poterit illam producere. Hæc incapacitas præciſe ex defectu orta agentis non eſt reſpectu ſimultatis formarum, ſed reſpectu alicuius, quæ non poſſit neque ſimul, neque ſucceſſiue ab agenti produci, quia ſi agens poſſet ſucceſſiue vtramque producere, & ſubiectum poſſet vtramque ſimul fouere, & vna non propulſaret alteram, duo agentia numero diſtincta poſſent duplicem hanc formam in eodem ſubiecto producere, vel vnum, poſtquam vnam produxiſſet, poſſet ceſſare ab illius conſeruatione, & producere alteram in eodem ſubiecto, ſi vtramque ſimul producere non poſſet, & ita naturaliter eſſet duplex forma in eodem ſubiecto.

Statio primò: Si repugnantia recipiendi mediâ inhæſione, vel terminandi mediâ vnione duplicem formam, proueniat ex incapacitate ſubiecti, de potentia Dei abſoluta non poterit ſuppleri à Deo, neque ſubiectum duplicem amplecti formam. Rationem reddo à priori deſumptam ex P. Valquez, quem poſtea dabo. Capacitas, & incapacitas reſpiciendi formas non diſtinguitur à ſubiecto capaci, & incapaci: ergo permanente eodem ſubiecto permanet eadem capacitas, vel incapacitas: ergo ſi hoc ſubiectum eſt incapax recipiendi duplicem formam ſue mediâ inhæſione, ſue mediâ vnione, vel informatione, non potest fieri adhuc ſupernaturaliter capax, quia quidquid Deus miraculoſè operetur, permanet idem ſubiectum: ergo eadem incapacitas; permanente verò incapacitate non potest recipere duplicem formam, quia ſi illas reciperet, eſſet capax, valet enim conſequentia de actu ad potentiam: ergo eſſet capax, & eſſet incapax; capax quia reciperet, incapax quia eſſet idem ſubiectum, quod per ſuam entitatem incapax erat.

Secundò probatur eadem conſuſio: Subiectum recipit in genere cauſæ materialis, ſed in hoc genere nulla potest eſſe eleuatio: ergo ſi ſubiectum ex ſe non eſt capax, non potest capax fieri à Deo: idem dices de effectu cauſæ formalis, ſue intrinſecæ, ſue extrinſecæ, qui non potest ſuppleri à Deo, propter rationem, quam iam trado. Deus tantum operatur in genere cauſæ efficientis: ergo non potest per ſe ipſum ſupplere defectum cauſæ materialis, vel formalis. Probo conſequentiam: hæc cauſarum genera ſunt inter ſe valde differentia. ergo per influxum, quem præſtat cauſa in hoc genere non potest ſuppleri defectus influxus præſtandi in alio genere diuerſo. Conſirmatur: agere non eſt pati: ergo per nullam actionem Dei potest adiuuari materia, vt patiatur formam, quam ipſa ex ſe non potest pati, neque vt terminet vnionem formæ; quam ſubiectum ex ſe non potest terminare, actio enim produciens formam, vel vnionem, tantum producit id, quod eſt recipiendum, vel terminandum, capacitas autem ad determinandum debet ſupponi ex vi actionis, quæ ſubiectum, quod præſupponitur ſuit productum identiſicatum cum ipſa capacitate.

Dices: Deum in genere cauſæ efficientis ſupplere defectum cauſæ materialis: Contra: vel Deus ſupplet hunc defectum cauſæ materialis præſtando ſimilem influxum illi quem præſtat, ſeu præſtaret cauſa materialis, & hoc implicat, quia Deus non potest pati formam, neque illi ſe vnire tamquam ſubiectum informationis: vel ſupplet defectum cauſæ materialis talem influxum actiuum præſtando, vt neceſſarius non ſit influxus cauſæ materialis, & hoc modo materia non recipiet formam, neque erit ſubiectum illius, ſed Deus per creationem conſeruabit formam independentem à materia, per quam creationem materia non erit eleuata ad receptionem ſed potiùs ab illa remota, de quo non eſt quæſtio, ſed an Deus poſſit facere vt duplex forma dependentem à materia tamquam à ſubiecto inhæſionis conſeruetur in eadem materia recepta. Quod dixi